St. Dr. Prawo
7 972
Jus.

7972

C. D.

De

PRÆSCRIPTIONE RERUM FURTIVARUM,

Consensu

Magnifici JCtorum Ordinis

in illustri Pregelana

Pro

Receptione in Facultatem

disputabit

JOHANNES HENRICUS POTT,

Phil. & U. J. D.

Respondente

HENRICO Schönfeld/ Reg. Boruss.

ad d. 13. Septembr. 1685. horis locoq; solitis.

REGIOMONTI,

PRÆLO REUSNERIANO.

VIRIS

Spectatissimis atq; Integerrimis

Dn. GABRIELI Hillbrandt/

Civi ac Negotiatori apud Regiomontanos florentissimo,

Dn. DANIELI Wahl/

Civi ac Negotiatori Gedanensium florentissimo,

Utrisq; affinibus suis honoratissimis,

Dissertatiunculam hanc sacrat

PRÆSES.

I. N. J.

Thes. I.

QVamvis præscriptio primo aspectu cum injustitia quadam conjuncta esse videatur, cum contra naturam sit aliquem cum alterius damno fieri locupletiorem *l. Jure naturæ 206. ff. d. R. J. c. locupletari 4. d. R. J. in VIto,* neq; id quod nostrum est sine facto nostro, hoc est sine traditione nostra, *arg. §. 40. I. d. R. D. l. 20. C. d. pact.* ad alium transire possit: re tamen paulo accuratius considerata, ea non solum summè utilis ac necessaria, sed & summè justa dici potest.

Th. II. Probant hoc ea, quæ doctè hac de re differit Albertus Bolognetus *lib. d. L. J. & æquit. c. 27. n. 6. & 7.* Multa ejusmodi in Jure Civili reperies, *inquit*, quæ rationi naturali videntur adversari, veluti Macedonianum, quod pecuniæ mutuo filiisfamilias datæ denegat repetitionem; item Vellejanum, quod mulieri quæ pro alio intercesserit fidem datam frangere permittit. Nihiloq; justior videtur præscriptio biennii quæ facit, ut quam verè mihi non numeraveris pecuniam, perinde ac si numerasses restituere tibi compellar, id quod sæpe etiam judicati facit autoritas. Hæc omnia, *pergit*, si per se illa consideres ab omni justitia videntur esse alienissima: sed quia ideò sunt instituta, ut gravius quiddam & injustius declinetur, propterea verè justissima dici debent.

Th. III. Scilicet introducta est præscriptio ut litium aliquis sit finis, neq; dominia rerum sint in incerto, *pr. 1. l. 1. ff. d. usucap. arg. l. f. ff. pro suo.* add. Duaren. *ad tit. de usucap. c. 5.* id quod non est contra jus naturale, sed suaviter potius cum eo concordat, neq; adversatur justitiæ, sed eam potius promovet. Etenim qua ratione jure gentium attestante doctissimo Hugone de Roy *de eo quod justum est. lib. 3. tit. 3. n. 2.* dominiorum distinctio justa visa fuit, eadem æquitate justissima quoq; visa

 fuit

fuit conservatio distinctionis, & translatio de uno in alium; sublata quippe distinctione inducitur confusio, qua nihil magis juri divino ac rectæ rationi adversatur.

Th. IV. Neq; obicem huic meo ponit asserto id quod dicitur in N. 9. esse scilicet præscriptionem iniquum & impium aliquod præsidium: Variis enim dubium hoc resolvi potest modis. Et primo quidem resolvit illud Harpr. *ad pr. 1. de usucap. n. 52.* h. m. Dici scilicet præscriptionem iniquum & impium præsidium non simpliciter, sed secundum quid, nimirum respectu Ecclesiæ Romanæ, si nimirum ea breviori tempore deberet excludi quam Constantinopolitana, vel habito respectu ad regulam quæ habetur in *l. 14. ff. d. condict. indeb.* Secundò aliter dubium hoc diluit Manz. *ad d. pr. n. 104.* dicendo, intelligendam hic esse illam præscriptionem, quæ cum mala procedit fide, non verò quæ cum bonâ fide, ita ut prior non verò posterior impium dici mereatur præsidium. Et hæc solutio fundamentum habere videtur in verbis tx. ibi, *iniquis hominibus.*

Th. V. Ad id verò ut justa dici possit, præscriptio requiritur, ut omnia præscriptionis observentur requisita: his enim neglectis ea nulla est atq; invalida, id quod & sequentes volunt versus memoriales.

Non usucapies nisi sint tibi talia quinq;
Bona fides, justus titulus, res non vitiosa;
Ut res tradatur, & tempus continuetur.

Imprimis verò ad usucapionem requiritur, ut res quæ præscribitur sit habilis, & ut cum Dd. loquar usucapibilis seu præscriptibilis: aliàs enim reliqua requisita non prosunt, licet res bonâ fide ex justa causa accepta, & per tempus legitimum h. e. à legibus definitum, possessa sit.

Th. VI. Ex quibus evidenter liquet objectum præscriptionis habile non esse res furtivas vitio quippe laborantes, id quod & docet jureconsultissimus noster Imperator *§. 2. J. d. t.* nec non JCtus Paulus *in l. 4. §. 6. ff. eod.*

Th. VII

Th. VII. Triplex scilicet à Dd. statuitur vitium, videatur Schneidevv. ad toties *cit.* §. *2. n. 62.* (1.) *Reale*, quod rei inhæret, & ad quemcunq; transit possessorem. (2.) *Quasi reale*, quo vitio laborant res dotales, nec non res pupillares, quæ alienari prohibentur favore potius personæ privilegiatæ quam ipsius rei. (3.) *Personale*, quod videlicet non ipsi rei sed personæ præscribere volenti inest, quale vitium efficit mala fides ejus qui præscribere satagit.

Th. VIII. Quod ultimum horum concernit, conspicitur illud in fure, ut propterea quoq; res furtim quas surripuit præscribere non possit. Ipsæ verò res furtivæ primo laborant vitio, ita ut eapropter neq; alius quivis possessor eas usucapere valeat, quamvis illas bona fide emerit. Etenim vitii realis contagio quoslibet primi sequitur ac comitatur successores *l. 11. C. d. acqu. & ret. poss.* & ubi lex inhibet usucapionem bona fides possidenti nihil prodest. *l. 24.* §. *1. ff. d. usurpat. & usucap.*

Th. IX. Erit igitur domino rei suæ furto sibi ablatæ vindicandi potestas, quam in tantum extendunt Impp. Diocletianus & Maximinianus *in l. 32. C. d. R. V.* ut etiam pretio possessori non refuso ea ipsi competat. Jung. *l. 3. ff. d R. V. l. 2. C. d. furt.* *l. 6. C. d. evict.* *l. 27. ff. d. captiv. & postlim. revers.* Preuschland R. *lib. 3. tit. 1. a. 13.* §. *2.*

Th. X. Sed an non is qui in publico foro seu nundinis b. f. emit res furtivas, eas præscribere possit, aut ad minimum absq; pretii refusione eas restituere non teneatur, controversiâ haud caret. Equidem videtur nundinas securitatem præstare emptori. Verum cum nundinarum securitas non in eo consistat, ut citra leges quis mercetur, privilegiatæ enim illæ non sunt propterea ut minus cautè quis negotietur. Dn. Fritschius *de Jure nundinar. c. 8. n. 18.* Marquard. Freher. *de Jure mercat. & commercior. lib. 2. cap. 9. n. 78.* Sed ut sint tutæ & liberæ quoad accessum atq; recessum, & ne quis in iis injusta afficiatur molestia *l. 11. ff. d. nund.* neq; hic præscriptioni erit

 locus,

locus, ſed tenebitur emptor pretio non recepto res emptas vero domino ſupervenienti reſtituere. Richter *deciſ. 96.* Berluh *p. 5. concluſ. 45.*

Th. XI. Idem dicendum de Judæis res furtivas ementibus. Sicuti enim hi cum aliis pari ambulant paſſu, & per factam traditionem quam præceſſit emptio atq; venditio nihil acquirunt, ſed vero domino ſupervenienti res furtivas reſtituere tenentur etiam pretio non recepto; ita neq; præſcriptionis exceptione ſe tueri poſſunt, ſed in judicio vindicatorio ſuccumbent. Quamvis enim juris Saxonici diſpoſitio illis in tantum ſuccurrat, tribuendo iis privilegium ut res furtivas emptas domino reſtituere obligati non ſint, niſi ab eo pretium ipſis prius fuerit refuſum, id quod patet ex tx. in Land-R. *lib. 3. a. 7.* quoniam tamen ejusmodi ſtatuta è diametro cum æquitate pugnant, utpote materiam peccandi præbentia rectè ea non attenduntur, unde & prædictam Juris Saxonici diſpoſitionem jam diu à foro receſſiſſe, teſtis eſt Georg. Schultz *in Synopſi J. d. obl. quæ ex del. naſc. lit. P.*

Th. XII. Procedunt autem hactenus dicta de longi temporis, non vero longiſſimi temporis lapſu: ita ut quamvis res furtivæ longo tempore præſcribi nequeant, benè tamen longiſſimi temporis præſcriptionis conſtituant objectum.

Th. XIII. Scitè hinc hanc in rem ſcribit Manz. *ad cit.* §. 2. *J. d. uſucap. n. 9.* Non ſine myſterio, *inquit*, dicit Imper. in textu noſtro, furtivas res & quæ vi poſſeſſæ ſunt longo, tempore uſucapi non poſſe. Nam ſi quis longiſſimo tempore 30. ſcilicet vel 40. annorum ſpatio eas bona fide poſſideat, tunc præſcribit. *tx. in l. f. C. unde vi, arg: l. omnes & l. ſicut C. de præſcript. 30. annor.* Jungantur ea, quæ tradit Carpz. *p. 2. c. 3. d. 16. n. 3. & 4.*

Th. XIV. Sciendum hinc ratione temporis dividi præſcriptionem in triennalem, quæ eſt rerum mobilium, quadiennalem,

nalem, de qua est *t. t. C. de quadrien. præscript.* longi & longissimi temporis, quarum ultima est jurium seu actionnm & spatio 30. vel 40. annorum perficitur *t. t. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* vid. Hahn. ad Wes. *tit. de usurpat. & usucap. n. 7.* Carpz. *p. 2. c. 3. d. 3. n. 5. & 6.* Et hæc hujus est loci.

Th. XV. Rationem verò cur res furtivæ tanto temporis spatio præscribi possint communiter assignant hanc: quod scilicet per tale tempus purgetur vitium illud reale & qualitas furtivitatis. Quod si enim spatio 30. annorum tollitur actio furti, tolletur quoq; vitium & furtivitatis qualitas: tolli verò 30. annorum spatio furti actionem clarus innuit *tx. l. 1. §. 1. C. d. annali except.* vid. Schneidevv. *l. c. n. 65.* Philipp. *U. J. Pr. lib. 2. ecl. 32. n. 8.*

Th. XVI. Cessante igitur vitio, ex Juris Civilis dispositione non solum b. f. possessor res furtivas præscribere potest, sed & ipse fur *l. 3. l. 4. junct. Gloss. in f. C. de præscript. 30. annor.* In hac enim præscriptione non qualitas possessionis, sed solus lapsus temporis sive potius negligentia domini longissimo tempore rem vel jus suum negligentis, attenditur. Hæc tamen quæ de fure dicta sunt procedunt solum de Jure civili, aliud enim de jure obtinet Canonico, secundum quod ab ipso fure propter malam fidem in æternum tales res non præscribuntur *c. f. X. d. præscript.* Cum enim Jus civile in initio usucapionis bonam fidem solum desideret, juris Canonici rigor, omni tempore tam in initio quam in progressu b. f. efflagitat. vid. Dn. Struv. *S. J. C. Ex. 43. th. 21.*

Th. XVII. Et hoc ita in praxi observari testatur Gail. *2. obs. 18. n. 7. & seqq.* ubi scribit, quod secundum canones & communem atq; in Camera Imperiali sæpiùs approbatam opinionem malæ fidei possessor, ein böß-gläubiger Inhaber oder Besitzer/ nullo unquam tempore præscribat, adeo ut neq; statuto vel lege aliqua contrarium induci vel statui possit. Et paulo post, num. scil. 9. affirmat communiter receptum esse,

ut

ut in materia præſcriptionis in qua de peccato agitur juri ſtetur Canonico & ejus diſpoſitioni.

Th. XIIX. Conſentit cum Gailio, Hahn ad Weſ. *d. l. n. 11.* afferens quoq; aliorum autoritates, inſimulq; ibidem docens in puncto Juris negativam veriorem eſſe opinionem, motus rationibus ſequentibus. (1.) Quod introducta ſit præſcriptio boni publici cauſa ob neceſſariam dominiorum certitudinem, hincq; eum qui tamdiu tacuit & tanto tempore rem ſuam neglexit præſumi illam pro derelicto habere. (2.) Quod b. f. loco temporis ſit diuturnitas. (3.) Quod b. f. adeò neceſſaria non ſit in dominiorum acquiſitione, ſicuti hoc ipſum ex deprædatione bellica manifeſtum. Concludit hinc adductum *cap. ult. X. de præſcript.* quo probare ſatagunt DD. quod de Jure Canonico omni tempore cum b. f. præſcriptio conjuncta eſſe debeat, quodq; propterea fur aut alius m. f. poſſeſſor rem furtivam præſcribere nequeat, reſtringendum eſſe ad forum Pontificium, neq; velle Innocentium III. abrogare dicto cap. *t. t. C. de præſcript. 30. annor.* aut leges Imperii abolere.

Th. XIX. Dictum igitur quod ſecundum Jus Civile rebus furtivis etiam ab ipſo fure præſcribi poſſit: jam inquirendum erit, an is, qui res furtivas b. f. à fure emit, ex propria ſua perſona præſcriptionem inchoare debeat, an verò acceſſione temporis autoris ſui, malam qui habuit fidem, uti queat? Sane verior videtur ſententia, quod talis ex propria ſua perſona præſcriptionem inchoare teneatur, neq; uti poſſit acceſſione temporis autoris ſui, qui cum mala fide poſſedit, quam & de Jure Canonico procedere ex Panorm. in *c. nihil X. d. t.* docet Schneidew. *d. l.* & ex eo Manz. *loc. itidem cit.*

Th. XX. Sicuti igitur priori caſu dominus rem ſuam vindicare poterat, pretio rei non refuſo, ita hoc exceptione præſcriptionis ſubmovebitur, neq; in judicio vindicatorio audietur. Sibi enim imputet, quod tanto temporis ſpatio non diligentius in res ſuas inquiſiverit, cum vigilantibus jura ſuccurrant.

FINIS.